

*De Pogo, qui fuerit; ex Eccl: XXXVIII. & XXXIX. &
Apocal. S. Joh: XX.*

PROGRAMMA INAUGURALE,
quo

DECANUS COLLEGII THEOL. IN ALMA ARGENTORAT.
UNIVERSITATE

**JOH. CONRADUS
DANNHAUERUS,**

S. S. THEOL. DOCT. PROFESSOR, SE-
NIOR, ET CONVENTUS ECCLES. PRÆSES,

Anno MDCLXIII, XII, Oct.

AD LECTIONES DOCIMASTICAS

PHILIPPI JACOBI SPENERI,

tunc Phil. Mag. & Verbi Min. Argent.

DOCTORIS THEOLOGI

AXIOMATE INSIGNIENDI

invitavit:

Propter raritatem & præstantiam suam
**RECUSUM HALÆ SAXONUM
MDCCXIV.**

Litteris CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

.ll. diss. A
.0. 0, 7

Handwritten marks: a vertical line with a horizontal bar, a crossed-out symbol, and another symbol.

Handwritten note: Diss. A 160 (7)



CIVIBUS ACADEMICIS

τὸ εὐκράττειν!

Quis ille **GOGUS** fuerit, quem olim ex divina inspiratione præcavit Ezechiel. cap. XXXVIII. & XXXIX. iterando cecinit **S. JOHANNES** Evangelista ὁ ἐγκόλπῃ Apoc. XX. fortiuntur alii tanquam in ludo aleatorio, quos inter canem jecit *Thom.*

Malvenda Dominicanus Tom. I. de Anticristo l. 6. c. 31. cum de rege aliquo potentissimo Aquilonari, nescio quid mali somniavit: alii divinant, tanquam Enthusiasmo rapti, deliri, lymphatici; Pauci sereniori, & excolatiori mentis diancæ ac indagine sagaciori, in hæc adita religiosè penetrant. Sunt qui **ANTIOCHUM** Illustrem (post alios *Hugo Grot. ad Ezech. c. 38.*) Sunt qui **SULTANUM** Othomanidem (è castris Pontificiis *Pintus in b. l. Genebrard. l. 1. Chronogr. p. 151. l. 4. p. 688.* è nostris *Magdeburgenses*, magnusque *Lutherus in præfat. Ezech. 38. Tom. 1. Isleb. p. 482. f. 2. Tom. 2. Witteb. p. 502.*) Sunt qui **ANTI-CHRISTUM** hinc designari censent: Utopicum illum suum ac tardigradum *Bellarminus l. 3. de Rom. Pont. c. 17.* (desertus ac refutatus à *Malvenda Tom. 1. l. 6. c. 3.*) verius **PAPAM**, è nostris *Dölingius*, è Calvinianis *Chamier*: Omnes rectè & congruè, si sensa sacrarum literarum probè discernant, atque hinc inter se facilè conciliabiles. Nos, inquit, *D. Pappus in comm. ad h. l. p. 196. inter senten-*

rias jam commemoratas medium quoddam tenendum esse arbitramur, h. e. neque planè rejiciendam esse eorum sententiam, qui de Regum Syriacorum contra populum Judaicum crudelitate vaticinium istud accipiunt: neque tamen eorum omnittendam expositionem, qui idem hoc Vaticinium ad Turcicam quoque Tyrannidem accommodant. Ut enim apud Danielemea, quæ de iisdem Syriacis regibus prædicuntur, rectissimè ad spirituales Antichristum, sedentem in templo DEI, & seipsum pro DEO venditantem, accommodantur: Ita etiam hoc loco percommode ea, quæ semel à Syriacis illis Tyrannis contra populum DEI gesta & suscepta sunt, ad finem Ecclesiæ, eiusque fortunam circa finem mundi possunt conferri: Et quemadmodum initia Ecclesiæ N. T. maximam habuerunt similitudinem cum populi Judaici principio, ita eandem ferme sortem sustinet Ecclesia sub mundi finem, quam populus Judaicus paulo ante exhibitionem Messæ fuerat expertus. Visum olim fuit mihi in *Antichristisophia*, MDC XL. editâ, in sensu literali, Antichristum, uti vocant, occidentalem, sive Romanum potius quàm Orientalem illum - fuisse prænunciatum; exercitum item *Magogæum* Scythis olim Gothicque Borealibus constitisse, in omnem Europam in prima educatione effusis (interprete *Ambrosio* l. II. de fide ad *Gratian.* c. 4.) genus postea sanguinemque miscentibus, atque sic è Gothicis, jam indigenis (vid. *Baron.* ann. 395, 409.) in Gallos, Italos, vide *Bernegg.* qu. 91. in *Tacit.* Hispanos (Thubalæos sc. juxta *Saliam.* p. 175. conf. *Sanct.* ad *Zach.* 6. p. 102. *Voss.* l. I. de *Orig. Idol.* c. 33. confer *Pentaleonis* *Gottiberidem*) Germanos (olim quidem *Taciti* temporibus alienis connubiis non infectos; fuisse etiam qui *Moguntiam* à *Magog* deduxere, notat *Serar.* l. 1. rer. *Mogunt.* c. 5.) transplantatis: denique in hoc seculo sub capite *Gogo* in S. *Ligam* confluentibus, secundâ visitatione castigatis inque ordinem redactis: nec muto quod jeci, nec repeto, quem semel inivi calculum, in sensu inquam literali, à Spiritu S. primum intento, quamvis tropis ille ac figuris eleganter depictus exhibeatur. Sed & *Antiochus* ὁ ἰπικαυῆς, Judaicæ Ecclesiæ æque infestus ac invisus hostis eodem Pro-
phe-

phetarum intuitu præconspicuitus est; ut typus in sensu mystico. Literalem prohibet ταυτότης Gogi Ezecheliani & Johannæi, ne S. Johannes præposterè vaticinatus fuerit de hoste præterito, ac Johannæ à ætate antiquiori. Immanissimus denique Hostis alius ex alio natus, qui sub Mahumetis signo ac disciplina tot seculis in Rom. Imperium ferocissimè sæviit, excludi ideò non debet, quia Gogus generali mentis conceptu omnem Ecclesiæ Christianæ Adversarium, præ cæteris diriorem, ac hereditario odio contagiosum significat, qualis fuit *Agag*, Rex Amalec (γῶγ juxta LXX. Num. 24. 7.) qualis *Haman Agagita*, Esther 3. 1. Ἀμαλικήτις, *Joseph. l. ii. c. 6.* Literalem verò sensum non permittit. 1. *Temporis novissimorum novissimi determinatio.* Vnde enim cunque calculum posueris eruptionis Gogæ, futuræ post chiliadem annorum captivitatis Sathanicæ solutæ, εἰς ἀπορον incidet: si ab anno M CCCC. (sic illi qui millenarium inchoant à Constantino M. finiunt in Otomanno) tria adhuc secula numerabis anteriora novissimo; si ab anno D XXVIII. (sic illi qui ab Heraclio Imp. Victore *Cosrois Persæ* initium ducunt) in annum M DC XXVIII. incidet, quo liga Papæa non vis Otomanica gravis montibus Israelis incubuit. 2. *Montium Israelis*, hoc est, Ecclesiæ veræ designatio, jam Turcicas invasiones non ad Ecclesiam Orthodoxam sed Romanā, non religionem, sed regionem evertendam directè ac primò collineasse, omnis historia clamat. Nec hic malè notavit *Ludov. Alcasar. Lojolia Hispanus in Apoc. notat. 23. proœm. Turcorum & Maurorum bella Christianis illata in Imperii potius propagationem, quam in Christiani nominis violentam extinctionem inveniunt: Quamvis enim alicubi tam Hæretici, quam Maurimnis, tormentis, ac dirissima morte Christianos ad ejurandam Christi fidem impellere conati sint; nulla tamen harum persecutionum universæ Ecclesiæ fuit communis & generalis; neque eiusmodi persecutionem illi communi instituto profitentur: illud potius præ se ferunt, ut dum suas superstitiones defendant, cæteros faciliè in sua quemque religione vivere permittant. Cæterum, an quod Sibylla vaticinatur (editore *Opsopæo l. 3. Sibyll. orac. p. 241.* Heu tibi, Gog tractusque Magog, qui di-*

vidis amnes, Aethiopum medius: quantas tu sanguinis undas accipies pœnæque domus diceris in orbe, potabitque nigrum tuæ roscida terra cruorem) expectandus adhuc venturus aliquis è sanguine Turcico Gogus, ac fortè signa sit sublaturus, is qui nunc est Hannibal ad portas, exactè & ex asse impleturus, quæ viri divini prælagierunt: an prætereà supra S. Ligam tota Civitas Diaboli inurrectura sit in civitatem DEI (placitum sc. Augustini l. 20. C. D. c. 11, hæc erit novissima persecutio novissimo imminente iudicio, quam sancta Ecclesia toto orbe terrarum patietur: Univerſa sc. Civitas Christi ab universa Diaboli civitate, quantacunq; erit utraq; super terram. Gentes quippe istæ, quas appellat Gog & Magog, non sic sunt accipiendæ, tanquam sint aliqui in aliqua parte terrarum Barbari constituti: sive quos quidam suspiciantur Getas & Massagetas propter literas horum nominum primas, sive aliquos alios alienigenas, & à Romano jure sejanctos. Toto namque orbe terrarum significati sunt isti esse: cum dictum est: Nationes, quæ sunt in quatuor angulis terrarum, easque subjecit esse Gog & Magog. Hic præstat *ἰπὶ χεῖρ*, ac præstolari eventum, certissimum Prophetiarum indicem, imò potius novissimum dierum, omnium Ecclesiæ adversitatum, sed & utriusque Antichristi gemelli, tempore prognati eodem, conficiendi terminum fatalem, de quo hætenus fuimus persuasissimi jam ante fores esse; quam cum servo malo (Matth. XXIV, 28.) dicere: *Moram facit Dominus meus venire*, aut cum R. Manasse Ben Israel. l. 3. de resurr. c. 5. Judai *זעו*. Sagt man, (ita D. Cramer. ad Ez. 39. p. 430.) daß eine solche schröckliche Uiderlag/ da der Türcke, wie etliche vorgeben, kurz vor dem jüngsten Tage soll gang erschlagen werden, noch vorhanden sey, was ist das anders, als die Leuthe sicher machen, ehe nicht die Ankunfft Christi zu glauben, daß dieses ins Werck gerichtet sey. Præstat cum Hieronymo in Ezecheliano mysteriorum Labyrintho misericordiam Christi implorare, ut ipse dolos tecti ambagesque resolvat spiritu suo, cœca regentis vestigia, ne aberrant. Præstat præcavere, ac prophylacticis nos præmunire, ne nostra ætate, ultima illa calamitatum seges erumpat, si omnino eruptura sit: nec aliud est præsentius præremedi-
um

um quam prioris vitæ retextura, ac generosa quædam *καλὴ γένεσις*, adque imaginem Christi (expulso late Antichristiano) conformatio: nam sicut in Hydræo illo serpente capita amputata renasci solebant, (vel potius, ut *Selymi Solymannide* utar similitudine, quâ Venetis insultavit, *barba*, agentis, à *Venetis apud Naupactum abrasa succreuit, at brachium ego dextrum, captâ Cypro amputavi, quod nunquam recrevit*) Ita & peccata è peccatis consuetudine obfirmata reviviscunt, quæ subinde ense Herculeo refecanda; atque ut è Gogæo sanguine Gogæa colluvies propagatur: ita è testium veritatis cineribus novi quasi Hercules reflorescere debent, monstrorum domitores. Id quod curæ fuit non tantum Doctori, sympatriotas nostros Galatas Christo denatos novo quasi puerperio repartutienti ac regeneranti, *Filioli mei, Gal. IV, 19. quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis.* Idem nobis quoque curæ esse debet, quotquot in omni vitæ ordine ad Antichristi hujus illiusve furias ac flagitia Ethnico-Turcica debellanda, Christi contra effigiem in omnibus cordium templis erigendam, sumus auctorati. Decet omninò palingenesiam Christianam adornare, ac Doctores Ecclesiæ oneri illi pares prævidere seriatimque præficere, ne desint, qui denascentibus succedant, sicut in sacratâ arbore, ramus,


—primo avulso non deficit alter

aureus, & simili frondefcit virga metallo.

Tales autem prævidere ac præficere, qualem *Nobilissimus, Amplissimus ac Prudentissimus Reipubl. nostræ Magistratus* prævidit, cum *Virum pl. Reverendum & Præclarissimum Dn. M. PHILIPPUM JACOBUM SPENERUM Rupisvillanum* è scientiæ Theologicæ ac didacticæ notoriæ specimenibus exploratum, èque gregariâ studioforum turba selectum & exemptum, dudum vacanti loco *Concionatoris*, ut vocant, *Liberi*, auctoritate sua firmatum imposuit: cuius omnem vitæ studiorumque rationem hic depingere, virtutes omnes elogiis prosequi dignis, nec chartæ finit angustia nec Viri modestia. Est, ut omnia tribus verbis complectar, natalium sorte *Eugenius*, Numinis sensu cultuque *Eusebius*, moribus *Euthymius*, conversatione *Evarestus*; nomine apud exteros

teros

teros, quos inter Basileæ, Tubingæ, Genevæ, cum laude vi-
 xit, collegitque magnorum Virorum amicitias, *Euphemius*,
 officio *Evangelus*, suadâ in suggestu *Eucharis*, in cathedrâ
 ex iudicii acumine & memoriæ felicitate, Philosophiæ subsi-
 diis, Poëseos ornamento, profundioris Theologiæ thesauro,
 variarum linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Italicæ, Gal-
 licæ intellectu usuque, notitiæ insuper Genealogicæ Heraldicæ
 & Geographicæ luminibus *Eulogetus*. Adactus ille ex
 officii sui & obtinendi loci in conventu nostro Ecclesiastico,
 ordinationis etiam necessitate ad subeunda examina Theolo-
 gicâ; his se nuper subiecit, ac unâ Facultatem ad honores Do-
 ctoreos, suo tempore ex nutu divino consequendos, à Facul-
 tate nostrâ Theologicâ, modestissimè petiit, ac ut legibus sa-
 tis faceret, constituit gemino exercitio, thesauri sui recon-
 diti copias aperire, & lectione cursoriâ primum *palingene-
 sian* sive *reparturitionem*, novumque puerperium Paulinum
 in Ep. ad Galat. IV. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, do-
 nec formetur Christus in vobis*; & in Disputatione Dokimasti-
 ca TVRCISMUM à Sp. Sancto certius & liquidius (quam vel
 in Danielis corniculo vel Ezechielis Gogo) prænunciatum,
 sanctoque Evangelistæ vaticinio Johanni præmonstratum
 Apoc. IX. v. 13. & seq. pertractare: Lectionis initium factu-
 rus proximo die, quem vocant *Mercurii*, qui est *decimus
 quartus, hora nonâ*. Celebritas Viri Eruditissimi, quam sibi
 conciliavit domi forisque doctrinæ rarissimæ fructibus, &
 clam privatis Collegiis & palàm, (quos notavit, non dunta-
 xat *Basilea*, cum eum admisit viditque in cathedrâ cui Præses
 infederat publicâ, de argumento Geographico & historico
 aliquoties eruditè differentem: sed & singulari gratiâ fovit *Illustrissimus
 Dominus, Dominus JOH. JACOBUS Comes & Dominus de Rapolstein &c.*
 ac beneficiis luculentis favorem attestatus est: Inprimis eosdem decerpere
*Serenissimi Principes ac Domini, Dominus CHRISTIANUS & Dn. JOH.
 CAROLUS Fratres, Comites Palatini ad Rhenum, Duces Bavariæ, Comites
 Veldentii & Spanhemii &c.* quibus studiorum Moderator ascitus fuerat) ne-
 minem facile domi detinebit, omnes raritatis studiosos, ad audientiam alle-
 stabit, me tacente. Exaratum & publicatum Argentorati, XII. Octobr.
 Anni M DC LXIII,



Coll. Diss. A 160, misc 7